

gionem, quisquis hæc fieri potuisse suspicetur, simulque abominanda calumnia oneret viros incomparabili sanctitate & doctrina præditos, atque Hæroes, ut ita dicam, Christianæ Reipublicæ; quasi Populum inani persuasione illi imbuerent, atque ad supplicia perferenda nimis credulum urgerent. Quod tamen heic ora cuiuscumque obstruat: qui hæc alios docebant, & ipsi exemplo suo confirmabant. Nam & ipsi fortiter caput dedere pro Christo, persuasum habentes, se ad Dominum suum e vestigio profecturos, & una cum illo statim regnatos fore. Quid Ignatius, quid Polycarpus, quid Justinus, quid & alii egerint, jam accepisti. Gloriosissimus quoque Episcopus Cyprianus eandem viam arripuit. Et quanquam, uti Pontius ejus Diaconus in Vita illius animadvertit, is mortem evitare posset, multaque etiam loca, in quæ secederet, offerrent, is tamen imperterritus & constans apparitores oppetiri maluit, atque ad Coronam Justitiæ (ab Apostolo quoque desideratam) consummato agone cucurrit. Hæc Pontius, qui & de se hæc addit: *Dolebo, quod non comes fuerim? Sed illius victoria triumphanda est. De victoria triumphabo? Sed doleo, quod comes non sim. Verum vobis tamen & simpliciter confitendum est, quod & vos scitis, in hac me fuisse sententia. Multum ac nimis de Gloria ejus exulto. Plus tamen doleo, quod remansis.* Communis ergo tam Sanctis Episcopis illius temporis, quam Populis fidelibus fuit Martyrii cupido, quia communi ac firma persuasione quisque docebatur, fore ut sanguis suus *clavis Paradisi*, & in Cœlestem Beatitatem aditus esset, quemadmodum Tertullianus aiebat. Erant etiam Cypriano ante oculos loca Scripturarum, quæ pro inani systemate suo a Burneto producta vidimus, immo eadem, & plura ipse congestit Lib. III. cap. 16. Testimoniorum: Attamen vir doctissimus, non ignarus, quæ tunc foret Apostolica Traditio & mens Ecclesiæ, sine hæsitacione non aliis tantum, sed & sibi pollicitus est certam vix consummato certamine Coronam & Præmium in Cœlis. Quod plus est, hoc ipsum, quod illi minime dubium erat, certum quoque erat iisdem temporibus in Ecclesia Romana. Ubi Cypriani literas hortatorias ad superanda tormenta, mortemque subeundam accepere Moyses, Maximus, aliique Confessores Romani, in carceribus macerati ob Christi nomen. Epistolam & ipsi ad illum dederunt, quæ est xxvi. in editione Pameliæna, in qua hæc ajunt: *Ex tuis ergo Literis vidimus gloriosos illos Martyrum triumphos, & oculis nostris quodammodo, Cœlum ipsos petentes prosequuti sumus; atque inter Angelos ac Potestates, Dominationesque cœlestes constitutos contemplati sumus. Sed & Dominum apud Patrem testimonium suum illis promissum perhibentem auribus nostris quodammodo sensimus. Hoc est ergo, quod & nobis animum in dies singulos erigit, & ad consequendos gradus tantæ dignationis incendit. Quid enim gloriosius quidve felicius ulli hominum poterit ex divina dignatione contingere, quam inter ipsos carnifices in ipso interitu confiteri Dominum Deum? quam relicto MÜNDO COELUM petisse? quam desertis homi-*